

844.

1248—1266.

BIRGER JARLS Bekräftelse på Folkes från Werend gåfva af en gård i Ryd till Nydala kloster.

A. 3. x. 1: 11.

.B. dei gracia Dvx suehorum. Vniuersis presentes Litteras visuris vel audituris. salutem & gratiam. Audiimus bone memorie virum de verendia Fulchonem nomine. tocius predij sui possessionem in villa que dicitur Ryth Monachis de Noua valle publica & perpetua donacione sibi in elemosinam contulisse. Nos igitur ipsam eandem donacionem. Litterarum nostrarum & proprii sigilli munimine roborantes. precipimus vniuersis & precipiendo Mandantes. quatinus nulli liceat in posterum istam cassare donacionem. vel Monachis supradictis calumpniam de predicta possessione facere. que eciam in communi placito verendie. eis est totaliter adiudicata perpetuo possidenda. Si quis uero contra hoc preceptum nostrum fecerit. ire omnipotentis dei. & nostre vindicte merito subiacebit. Valete.

Ett stycke af sigillet hänger på en från handlingen till en del lösskuren remsa.

845.

1250 d. 17 Oct.

Roskild.

Kon. ABELS i Danmark öppna Bref angående Friheter för borgarne i Wæ.

L. 10: 967. *)

Abel, Dei gratia Danorum Slavorumque Rex, Dux Jutiæ, omnibus hoc scriptum cernentibus in Domino salutem. Significamus universitati vestræ quod villanos de Wæ a debito expeditionis liberos dimisimus et exemptos, eorum paupertatibus condolentes, et propterea mandamus, ne ab eisdem præsumat quisquam hujusmodi debita extorquere, et hanc libertatem ipsis concedimus, quia ad hoc debitum persolvendum ipsos sufficere non videmus sine nimia gravamine eorundem. Præterea ipsos villanos dimisimus liberos per totum regnum nostrum a telonii solutione; interim volumus, ut coloni nostri ibidem de singulis suis fiarthingis, quæ tenent, solvant nobis annuatim marcham denariorum, festo sancti Olai. Ita quod nobis præter præmissa in nullo servire teneantur nisi in assignatione vectigalium cum nos personaliter affuerimus, vel dilectam uxorem nostram contigerit adesse. Datum Roschild Anno Domini millesimo ducesimo quinquagesimo, calendis Novembris 16.

*) Med anmärkningen att Langebek erhållit det 1754 af Hr ICHSELL i Stockholm.